

2029.

1315 d. 23 Aug.

Larsta.

Domprosten ANDREAS i Upsala erkänner, att han mottagit 10 öreländ i Nysta (Njursta) i Eds socken i Upland af f. d. Domprosten Israel i Upsala, med det vilkor, att egendomen efter hans död lemnas till Israels broder Birger Persson och dess arfvingar. (Jfr. N. 1364).

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Omnibus presentes litteras inspecturis, ANDREAS prepositus vpsalensis, salutem in domino, Solent ut sepius hominum facta in dubium verti, nisi in scriptis redigentur, Jdeo tenore presencium notum facio, quod decem oras terre in nysta parochia edh, habeo seu teneo ex collacione venerabilis viri, dominj Jsraelis quondam prepositi, vpsalensis, jta ut ad fratrem suum dominum byrgerum pætersson et eius heredes post dies meos redeant pleno jure, Jn cuius rej testimonium sigillum meum presentibus est appensum, Datum larsta, anno domini M<sup>o</sup>, CCC<sup>o</sup>, XV<sup>o</sup>, jn vigilia beati bartholomej apostoli.

*På frånsidan:* Vt dominus birgerus pætersson possidead(!) .X. oras terre jn nizsta.

Sigillet, på framsidan i rödt, på baksidan i gult vax, på en ur brefvet klipt remsa.

2030.

1315 d. 29 Aug.

Biskop BRYNOLF i Skara sänder, i sitt ställe, presten Henrik att besöka Domprosten och Kapitlet i Upsala samt mottaga deras befallningar.

Hadorphs afskr. i fol. pat. Sign. E. 73—76.

Reverendis viris dominis preposito et capitulo Ecclesie Vpsalensis, BRYNIULPHUS Dei gracia Scarensis Episcopus, sincere dilectionis affectum cum salute. Jn negocio visitacionis discretum virum dominum Henricum clericum nostre dyocesis ad vestram presenciam destinamus, discrecionem vestram requirendo, rogantes quatinus super visitacione presentis anni, velitis nobis litteras absolucionis patentes per dictum dominum Henricum remittere, et per eundem nobis intimare, que nobis ex parte ecclesie vestre duxeritis iniungenda, scientes quod parati erimus in omnibus ut tenemur cum reverencia suscipere eiusdem ecclesie monita et mandata. Scriptum nostro sub secreto, anno Domini M<sup>o</sup>. CCC XV<sup>o</sup>. in die decollacionis Johannis Baptiste.